

PRAECLARISSIMO VIRO  
ABBATI NOLETO

*PUBLICO PHYSICAE PROFESSORI*

JO. MARIA DE TURRE

S. P.



IRARI desines, vir ornatissime,  
me ab eo usque tempore , quo  
Regia Scientiarum Academia eo  
me honore affecit , ut tecum lite-  
rarum commercium haberem , ni-  
hil adhuc misisse , quod doctissimo  
huic coetui exhiberes , & aliqua ra-  
tione eodem esset dignum ; si tecum ipse perpendas  
in tanta hujus saeculi literarum luce vix aliquid  
praeclare excogitatum proferri posse , quod ab aliis  
non fuerit antea jam demonstratum . Sors tandem  
mihi nonnullas obtulit observationes circa parti-  
cularum sanguinem componentium naturam , quas  
dignas reputavi ut cum Academia Regia com-  
municarem . Antequam tamen easdem exponam ,  
nonnulla dicam de Microscopiis quibus usus sum ad  
sanguinem contemplandum , & de ea quam adhibui  
diligentia , ne in minutis adeo observationibus a-

A crystallorum,



crystallorum , quibus utor , parvitatem deciperer .

Quatuordecim jam excurrunt anni , nempe ab anno 1746. ex quo relictis exiguis lentibus , quibus utebar in Microscopijs simplicibus , animum converti ad detegendum modum , quo parari possent globi ex pura crystallo exilissimi ; eas enim methodos , quas passim apud Opticae Auctores legebam , non satis accuratas esse propriis didiceram experimentis ; & ipse globos conficiendi modus per se satis idein declarat . Parabam quidem ante hoc tempus lentes valde exiguae , quales etiam modo ad nos ex Anglia deferuntur , exquisitissime elaboratas a peritis Artificibus Wilson , Cuff , Culpepero , aliisque , quos hic recensere supervacaneum duco . Verum insignius augmentum diametri objecti , majorem campum , & intensius , & vividius lumen sperabam a globis , quam a lentibus , si modum detegerem , quo perfecte sphaerici ope ignis confici possent , quin a flamma deturparentur . Enixe per fere quatuor annos in id incubui ; in singulis tentaminibus , quae capiebam ( haec vero quam multa certe fuerunt ) discebam potius quae vitanda essent , quam veram methodum inveniebam . Tandem pluquam bis mille captis experimentis , in veram & perfectam methodum incidi globos accurate sphaericos , & politos conficiendi . Cum tamen adhuc de arcano detecto dubitarem , globorum a me formatorum periculum feci cum lentibus Anglicanis , & objecta eodem modo apparabant ;

rebant ; hoc solum fuit inter utraque discrimen , quod globis major appareret Microscopii campus , quam lentibus ; & objecta vividiora , & magis terminata viderentur , si tamen debito lumine illustrarentur .

En brevem confectionis globulorum historiam . Erunt profecto plures qui haec quae retuli , & ea quae inferius dicenda sunt , ut paradoxa habeant , & veluti somnia delirantis imaginationis . Hi vero erunt ex paucorum numero quibus non arrident ea quae profert Itala tellus , aut qui non sapiunt nisi ea quae proprio Marte exco-gitarunt , aut quae propriis didicerunt experimentis . His per me licet propria opinione frui ; ex aequo tamen mihi concedent , ut mihi quoque licet sit ea videre , quae clare , & distincte video oculis armatis , quasi ac nudi essent , & mecum una viderunt plures Neapolitani , atque exterius quorum omnium nomina menti modo non succurrunt , unum tamen aut alterum notabo , nempe Regiae Camerae Praefidentem , Marchionem D. Angelum Granitum Patritium Salernitanum , rerum physicarum studiosissimum & Joannem Vi-ventium celebrem Neapolitanum Medicum , qui pluries testis oculatus fuit mearum observationum , & R.P. Philippum Giannuzzi doctissimum Philosophiae Professorem in Seminario Nobilium Soc. Jesu , & R. P. Nicolaum Carcani Moderatorem Collegii Regalis Nobilium Scholarum Piarum , in observationibus maxime versatum , & accura-

tum Physicae Professorem Cajetanum de Bottis & celebrem Medicum Nicolaum Braucci , & nuper immaturo extinctum fato Dominicum Sanseverino , & R. P. D. Vittorinum Cardona ex ordine Montis Oliveti . Inter exterros vero , qui recenter meis globulis observarunt , R. P. Abb. Cesarem Pozzi Montis Oliveti publicum Mathaeos Professorem Romae , Professorem jam Chymicae Romanum D. Aloysium Giraldi Ferrariensem , Professorem Anatomiae Florentinum D. Raimundum Cocchi , & Dominum Ascanium Historiae naturalis Professorem in Dania .

Optavi equidem ut meae observationes per globos institutae praecipue circa particulas sanguinis etiam ab aliis doctissimis exterarum nationum viris repeterentur , & in me recepi , ad eos mittere meos globulos parvis orichalceis cucullis inclusos ; antequam observationes has Academiae Regiae Scientiarum Parisiensi sisterem ; votis tamen meis , nescio quo fato , ii praeclarissimi viri , quibuscum rem communicaram , non obsecundarunt . Quinque & amplius excurrunt anni ex quo ad Clarissimum virum D. Halembert Genevam scripsi , ipsique quae in sanguine videram patet feci , ad me humaniter rescripsit se aliqua ratione idem suis Microscopiis observasse , verum gravioribus distentum Reipublicae curis serio non posse his observationibus vacare . Quinto Kalendas Septembris anni 1759. plures circa sanguinem observationes per fatis longam epistolam  
communicavi

communicavi cum celeberrimo Hallero ; post tres menses cum nullum habuisset responsum, rogavi Joannem Viventium , qui cum eo literarum commercium habebat, ut ipsum de mea epistola commonefaceret , si forte tabellionum incuria periisset, & neque malo meo fato , ullum ab eo retulit responsum . His motus , diutius nolui differre has qualescumque observationes palam , occasione data, facere . Si vero erunt naturae curiosi qui easdem repetere velint , rem mihi jucundissimam praestabunt , & si globulos acutissimos confiscere non noverint , eos libenter per tabelliones inclusos cuculionibus orichalceis mittam.

Interea antequam observationes exponam , superfunt pauca edifferenda de ea qua utor diligentia in observationibus peragendis . *Primo* antequam utar quocumque globo , ipsum comparo cum lenticula aliqua exigua , utrisque objectum notum observando , veluti capillos , pulverem papilionum &c. & si nullum observo discrimen inter lentem , & globum nisi in diverso augmento objecti , tunc globum perfectum esse pronuncio . *Secundo* contemplor globo quodlibet minimum objectum , quod si probe terminatum objectum videatur , tunc ulterius tutus sum de globi perfectione . *Objectum terminatum* voco si exterior ejus circuitus non duplex appareat , non distortus , sed unicus , & ubique sui similis , & veluti in gyrum nigredine infectus , nempe a propinquis objectis probe distinctus . Terminata

autem , & distincta visio objecti nendum dependet a perfectione globi , sed insuper ab exclusione luminis superflui , & a directione ejusdem operae speculi concavi in ipsum objectum . In hac re excellens , imo prorsus singularis , & unicus fuit Petrus Campana , qui initio hujus saeculi tubos opticos , & Microscopia tam simplicia , quam composita excellentissima Romae parabat . Confecit etiam Microscopia simplicia ex globis , sed majoribus , qui nimurum mediocriter augebant objectum . Probe vir iste singularis callebat artem in omnibus instrumentis opticis radios superfluos excludendi . Ab observatione repetita tuborum , & Microscopiorum hujus auctoris ingenue fateor me didicisse , quid sibi velit objectum esse terminatum . *Tertio* , ut ulterius de perfectione globi tutus sim , attente perlustro objectum , & si ipsum ita cerno , ut mihi videar nullum Microscopium ante oculos habere , nempe visio naturalis sit , nec oculi ex repetita observatione fatigentur ; tunc extra omne dubium popo globum esse perfectissimum . Si quis autem oculatior in Microscopiis pertractandis maiores cautions requirat , mecum ingenue communicet , hisque utar , eique maximas gratias agam ; si quis autem fidem iis quae exponam neget , is utatur jure suo , & per me licet , ne legat haec , sed proferat praeclariora .

Totius Microscopii , quo usus sum , fabrica  
parum differt a Microscopio Wilsoni , recente-  
aptato

aptato ut in pera deferri possit : nempe adest speculum mobile in parte inferiori, quo illustrantur objecta superiora, ut per radios refractos videantur.

Globi quibus usus sum in his observationibus conficiendis denominantur numeris 1. 3. 6. 7.

Globulus primus habet pro diametro lineas 2. Parisienses, quare ex regula dioptricae augmentum diametri objecti est 64. Superficiei vero 4096.

Globulus tertius habet pro diametro  $\frac{2}{3}$  lineae Parisiensis. Quare diametrum objecti amplificatur fere 171. nempe 170.  $\frac{2}{3}$ , superficiem vero 29127.

Globulus sextus habet pro diametro puncta duo. Quare diametrum objecti auget 640. superficiem vero 409600.

Globulus septimus habet pro diametro punctum lineae Parisiensis. Quare auget objecti diametrum 1280. superficiem vero 1638400.

Cum, observante Henrico Baker in Microscopio ad omnium captum, acutior lens Leeuwenhoek augeat objecti diametrum 160. Wilsoni vero acutior 400. & acutior qua usus est Hallerus 250. adhibens Microscopium Culpeperi in contemplando sanguine, ut apparet in binis Memoriis de motu sanguinis, & effectibus Phlebotomiae Memoria secunda, quas edidit Lausannae anno 1756. patet globulum tertium quo utor magis augere objecta lente ultima Leeuwenhoek, sextum vero magis augere objecta lente acutiori Wilsoni & Culpeperi. Minores ultimo adhuc confeci globulos,

bulos, nempe dimidiae, & quartae partis puncti in diametro, iisque plura observavi; verum facile e cuculionibus exeunt, & vix iis contineri possunt.

Praeterea his observationibus, novam eamque completam mihi paravi globorum seriem, ut pro diversitate objectorum contemplandorum in promptu essent globuli aptiores ad ea contemplanda, eam hic exponam ut curiositati observatorum satisfaciam.

Globi.	Diam.Glob.	Augmen.	Diam.Obj.
Primus.	lin. 3.		42. $\frac{1}{2}$
Secundus.	lin. 2.		64.
Tertius.	lin. 1. $\frac{2}{3}$		76. $\frac{4}{5}$
Quartus.	lin. 1.		128.
Quintus.	lin. $\frac{2}{3}$		192.
Sextus.	lin. $\frac{1}{2}$		256.
Septimus.	lin. $\frac{1}{3}$		384.
Octavus.	lin. $\frac{1}{4}$		512.
Nonus.	lin. $\frac{1}{5}$		640.
Decimus.	Punct. 1. $\frac{2}{3}$		853.
Undecimus.	Punct. 1.		1280.
Duodecimus.	Punct. $\frac{2}{3}$		1920.

## OBSERVATIONES.

### I.

**S**i minima sanguinis humani gutta ponatur inter duos talcos compressos, ut vix existat

lis

his superficies fluidi sanguinei supersit, inde opponatur sphaerae primae, ejus partes apparent diaphanae & fere rotundae, ut in Figura pri-<sup>Fig. i.</sup>ma; moventur inter duos talcos alicubi lente, alicubi maxima celeritate, juxta interstitia majora, aut minora, quae inter duos talcos sunt, qui nunquam apprime congruunt. In a, & c, aliisque locis observantur veluti ampullae aëris in aqua, & in his globuli sanguinei immoti. Globuli omnes ab aqueo torrente abripiuntur, qui oculis facile distinguitur. In iis locis ubi plures globuli propinqui sunt, color apparet subflavus; ubi majores numero, rubicundus; ubi plures superimpositi sunt, intense ruber.

### *Corollarium i.*

Quoniam licet comprimantur talci, tamen globuli non eadem ubique celeritate feruntur, patet adeo exiles esse, ut nullam a talcis figurae mutationem subire possint; ideoque vere imitantur motum sanguinis in venis, & arteriis minimis, & sane plures canaliculos sanguinis circumtum imitantes inter talcos formant latiores, & angustiores. Quoniam per radios transmissos in hoc Microscopio partes diaphanae observantur, color partium sanguinis per radios refractos nullus est, per reflexos vero ruber; cum enim simul uniti globi observantur, tum qui superiores sunt observantur radiis reflexis. Quare globi radios omnes ex Theoria Newtoni transmittunt, exceptis rubris, quos majori ex parte reflectunt.

Rubri maxime apparent, si eos radiis reflexis solum illuminatos Microscopio simplici, aut composite opponas.

## II.

**I**dem globuli observati inter duos talcos sphaera tertia adparent etiam diaphani, & ut de-  
*Fig. 2.* pinguntur in Figura 2. nempe minus rotundi quam primi, & punctum nigrum videtur in me-  
dio eorum.

*Corollarium 2.*

Hinc communiter censuerunt, adhibendo lentes non nimis acutas, partes sanguinis aut esse globos perfectos, aut maxime accedere ad rotunditatem. Re enim vere sphaera prima, & tertia ita observantur, & magis rotundi videntur si non solitarii observentur inter duos talcos compressos, sed gutta sanguinis opponatur sphaerae primae, vel tertiae, cum nempe simul uniti, & confusi sunt, prout fere omnes auctores sanguinem contemplati sunt, vel in tubis capillaribus. Communis hic observandi modus non satis tutus est ad definiendam naturam sanguinis, cuius partes solitariae perpendenda sunt; & a caeteris separatae, ita tamen ut moveantur inter talcos. Modum hunc contemplandi partes sanguinis separatas, aliis praferendum esse mecum consentient omnes, qui hac ratione sanguinis particulas veluti in uno plano positas intueantur: eas enim cernent & maxime distinctas, seu terminatas, &

ope.

ope motus earum clare dignoscent fluido aqueo circumcingi , & veram animadventent harum particularum figuram .

## III.

**S**i particulas humani sanguinis inter duos talcos compressas intuearis lente sexta , hae apparent adhuc diaphanae , & ut depinguntur in Figura tertia ; nempe singulac compositae apparent ex sex ut plurimum partibus oblongis simul unitis in gyrum , ut vacuum spatium in medio relinquant omni prorsus particula destitutum . Si eaedem obseruentur lente septima , majores adhuc apparent ; sed eodem modo formatae ut in Figura quarta . Cum moventur , observatur assidue earum figura mutabilis ; ita in e , e , & c , c , ovales fiunt , cum per angustiores canales transcunt ; figurae inaequalis cum una prope aliam excurrit ; inde denuo rotundam figuram acquirunt , veluti essent totidem annuli ex partibus sex oblongis compositi . Interdum hi annuli aperiuntur aliqua sui parte , & iterum clauduntur maxima velocitate . Cum vero lympha arescere incipit , saepe non amplius clauduntur , sed aperti manent . Post horae quadrantem lympha sanguinis exsiccari incipit , & annuli lento magis feruntur motu . Tunc aperui talcos , eosque contemplatus sum in aëre aperito , atque apparuerunt ut in Figura quinta per Fig. 5. lentem septimam ubi in c , c , c , c observabantur partes oblongae , quae annulos componunt

folae, & ab aliis separatae. Erant adhuc plures annuli sed veluti contracti, & multo minores. Sanguinis recenter extracti guttulam super talcum impositam, & digito expansam in aere libero sphaera septima contemplatus sum, & annuli apparuerunt, ut in Figura sexta, in qua observabantur adhuc in c, c, c, c dimidii annuli, & partes annularum sejunctae.

### S C H O L I O N.

Cum partes sanguinis sint annuli compositi ex facculis membranaceis, ut inferius ostendemus, & hi undique circumdati fluido pellucido, quod lympha vocatur, licet globuli quibus utor mire easaugeant; non adeo tamen facile est & debito lumine eas illustrare, & lumen superfluum ita excludere, ut clare & distincte videantur. Probe enim norunt qui, vel primis dioptricæ principiis imbuti sunt, quam difficile sit corporum etiam sensibilium naturam explorare, si aquæ immersa fuerint, & praecipue si speculo aliquo illuminentur, ob multiplicem quam patiuntur radii lucis refractionem in transitu per fluida quaelibet licet homogenea. Quapropter non primo adspectui fidendum est, sed modo majori, modo minori lumine collustrandæ sunt partes sanguinis, modo directo, modo laterali, donec clare, & distincte oculis affulgeant. Curandum insuper est, ut hæ moveantur; hac ratione pluribus luminibus cum expositæ sint, certius earum figura annularis definitur,

definietur, & annorum umbrae distinguentur ab ea materia, ex qua componuntur. Si talci invicem non nimis proximi fuerint, atque hinc annuli sanguinei immoti maneant, digitis eos approximendo, facile consequeris, ut annuli moveantur. Interdum si debito lumine illustrati non fuerint, apparet in medio eorum quoddam inaequale corpus pallescente colore praeditum ad latera, in medio diaphanum. Si diligenter in illud inquiras, evanescet, & forsan oritur haec apparentia a lympha in medio annuli jacente, quae cum sit heterogenea, ut ostendemus inferius, inter confinia interioris annuli circuitus lumen adeo refringit ut cum umbra interiori annuli mixtum, colorem illum flavescentem producat. Id praeclare confirmatur nedum ex pelluciditate, quae in medio hujus corporis apparentis videtur; sed ex eo quod, cum annuli probè illustrati sunt, corpus omne in eorum medio evanescat; imo cum moventur, & diversos subeunt situs, si talci inferioris superficies in aliquibus locis obscura, aut colore aliquo tincta sit, vel lineas habeat, vel ei insit corpus aliquod extraneum; haec omnia clare distinguuntur in medio annuli, cum haec loca subit in motu suo. Quod si corpus aliquod in medio annuli adesset, aut non viderentur haec omnia, aut saltem confuse oculis subjicerentur. Ut itaque horum annorum natura clare, & distincte pateat, hi diverso lumine Solis, aut candelae eoque diverse modificato

modificato sunt illuminandi , plures repetendae sunt observationes , & hae semper cuin novis talcis instituendae . Qui patienter haec omnia non adhibeat ; consultius est ut ab his minutissimis observationibus abstineat.

*Corollarium 3.*

Hinc forsan repetitur opinio eorum qui putarunt sanguinem humanum ex heterogeneis partibus componi ; ita apparet in figura quinta & sexta .

*Corollarium 4.*

Quoniam in aëre libero ex figura quinta , & sexta adhuc plures observantur annuli eodem modo formati , quo videntur , cum sanguis inter duos talcos comprimitur , patet apertissime ; quod jam in Cor. I. asseruimus , nempe compressionem nihil mutare figuram partium sanguinis ; has nempe eodem modo apparere inter duos talcos , ac in aëre aperto . Duplex hoc experimentum in aëre libero revocavi , ut iis obviam irem , qui objecerunt , figuram annularem produci a talcorum compressione .

*Corollarium 5.*

Cum partes annulorum sejungantur , & iterum coēant , quod lympha arescente non evenit , imo in aëre aperto sejunctae manent , patet has invicem cohaerere compressione ambientis fluidi , non vero elaterio , aut aliqua vi attrahente . Quoniam figura annulorum assidue mutatur , imo in aëre aperto contractiores fiunt ,  
patet

patet annorum partes non esse duras, nec rigidas, sed valde molles, & flexibiles, atque fluido repletas, nempe lympha qua circumdantur; hac enim arescente contrahuntur annuli, & toti simul mole diminuuntur.

## IV.

**S**i sanguinis humani minima guttula valde diluat tur aqua inter duos talcos, ejus partes sphærae sextae expositae videntur ut in Figura septima, *Fig. 7.* nempe multo minores iis figuræ tertiae & annuli quoque sunt, sed in his non distinguuntur partes, & unicus annulus continuatus apparent cum nigro puncto in medio, fere ut partes sanguinis sphæra tertia visae in figura secunda. Si in minori aquae copia diluantur & adhibeas sphærulam 7. eosdem annulos majores videbis, atque in iis aliquas distingues partes, quae tamen vix, attente perlustranti, patent, ut in Figura octava, *Fig. 8.* Idem interdum evenit inter duos talcos nulla aqua adhibita, cum eorum superficies internæ ita planæ sunt, ut invicem compressæ fere ad perfectissimum deveniant contactum, nec ullos canaliculos relinquant, per quos sanguinis partes una cum lympha libere excurrant; tunc sponte fere omnes sanguinei annuli in suas partes componentes abeunt. Idem evenit cum lympha arescere incipit.

*Corollarium 6.*

Quoniam annuli sanguinis aqua diluti minores

nores adparent sphaerula 6. & 7. quam cum aqua non diluuntur, in figura tertia & quarta; & vix ex aliquibus partibus compositi videntur: patet aquam resolvere annulos in suas partes componentes, nempe destruere mutuum eorum contactum; cum tamen adhuc forma annularum appareant, hi certe nil aliud erunt quam partes ipsae in annulos minores conformatae. Natura itaque communis aquae plurimum differt a natura lymphae, licet ambarum partes componentes nulla Microscopiorum vel acutissimorum vi attingi possint. Cum eadem phaenomena occurrant cum talcis ad immediatum fere contactum, vel lympha arescente, patet ulterius ad annularum formationem requiri & determinatam lymphae copiam, & fluiditatem, atque has producere annularum cohaesionem Cor. 4. Haec diminutio molis annularum diversa prorsus est ab ea quam vidimus in figura 5. observ. III. Illa est vera totius annuli in mole diminutio, ex Cor. 5. haec vero oritur ex resolutione annularum in suas partes componentes.

## V.

**S**i sanguinem humanum contemplemur post aliquot horas, quibus inter talcos perfectissime exaruit, annuli omnes evanescunt, & in iis locis ubi pauciores numero erant particulae, talci diaphani sunt, in iis ubi majores erant numero, color subflavus, aut dilutus ruber apparet,

ret, sed ubique homogeneous, & aequalis absque ullo partium vestigio; ubi vero majori in copia aderat sanguis, color intensus ruber videtur, atque ibi plures veluti ramuli nigri observantur, certe orti ex arefactione sanguinis, qua in plures partes fatiscit, ut evenit si maxima sanguinis copia in aëre libero exsiccatur.

*Corollarium 7.*

Hinc ortus est error D. Adams, & aliorum, qui sanguinem humanum ex pluribus ramulis compositum esse censuerunt.

*Corollarium 8.*

Cum arescente exili superficie sanguinis, annuli eorumque partes, quae prius videbantur, prorsus dispareant, & color ubique uniformis sit, patet evidentissime globos sanguinis non esse duros, sed ex molli materia compositos, & cum ubique color idem sit absque ulla interruptione umbrarum, necessario annuli hi ex Optica unicam aequabilem superficiem constituent cum aruerunt; id quod etiam aliqua ratione monimus in Cor. 5. & 6. Supereft itaque ut annuli cum aruerunt, extendantur veluti totidem membranae contiguae; quae juxta diversam earum crassitatem naturalem, vel ortam ex plurium membranarum superimpositione, modo flavum, modo rubellum, modo intense rubrum colorem transmittunt, ut evenire in ampullis saponaceis jam notavit Newtonus in Opticis.

## VI.

**I**n ter duos talcos reposui sanguinem columbi eductum ex vena sub alis, & apparuit *Fig. 9.* sphaera septima ut in figura 9. nempe ejus partes erant totidem annuli oblongi, seu ovales, qui maxima celeritate ferebantur, & magis crassi, seu minus diaphani apparuerunt iis sanguinis humani. In c, c, c, c observabantur nonnullae eorum partes sejunctae. Figura horum annulorum mutabilis est, ut ea sanguinis humani, sed perpetuo ovalis est.

*Corollarium 9.*

Recte Leeuwenhoek Arcanorum naturae Tomo I. parte II. pag. 51. Tomo II. epist. 128. & Tomo IV. epist. 65. eos ita describit in ranis, piscibus, & avibus.

*Corollarium 10.*

Quoniam minus diaphani apparent iis humani sanguinis, necesse est, ut iisdem magis sint crassi. Quoniam in c, c, c, c, observantur partes annulorum sejunctae, etiam annuli sanguinis columbi ex partibus componuntur, quae tamen videntur majores iis sanguinis humani.

## VII.

**S**anguinis guttulam ex ranae jecore, & inde ex cordis ventriculis eductam objeci inter duos talcos sphaerulae septimae, & apparuerunt ejus partes orbiculares, ut in figura 10. *Fig. 10.* magis

magis tamen diaphanae iis columbi , & hominis; ita ut ad eas distinguendas minori lumine utendum esset , nempe illustrari non poterant foco speculi concavi lumen reflectentis , ut in omnibus antecedentibus observationibus , sed lumine tantum laterali speculi . Annuli sanguinis ex jecore majores sunt iis qui observantur in sanguine ex corde eruto , ut satis figura 10. ostendit .

### *Corollarium II.*

Cum annuli ex Corollar. 5. & 8. sint ex membranis compositi , patet eas columbi crassiores esse iis sanguinis humani , has magis crassas iis sanguinis ranae ; ita ut ranarum annuli sint ex membranis tenuissimis compositi , iisque eveniat id quod accidit membranis exilibus , & pelliculis aquae innatantibus , quae in lumine vivido non dignoscuntur . An ut in rana , etiam in aliis animalibus , & in homine annuli sanguinis ex corde educti minores sint iis jecoris , venarum , & arteriarum , iis quibus plus suppetit otii examinandum relinquo . Certe ex hoc plura ad Theoriam Medicam spectantia deduci possunt .

### VIII.

**S**Anguinis guttulam eductam ex vena secta in testudinis pede dextero posteriori opposui sphaerulae sextae & septimae inter duos talcos & apparuerunt annuli ovales valde graciles , ut in figura 11. inde eundem sanguinem iterum ab Fig. 11. eadem

**Fig. 12.** eadem vena eductum cum unico talco in aëre aperto opposui sphaerulae sextae , & annuli minuti ovales apparuerunt ut in figura 12. Magis **Fig. 13.** diaphani fuerunt iis columbi , sed minus iis ranae . In sanguine columbi , ranae , & testudinis nullas distinguere potui partes annulorum cum integri sunt .

### *Corollarium 12.*

Cum annuli cujuscumque sanguinis composti sint ex membranis , & omnes diaphani , atque annuli sanguinis columbi crassiores sint iis hominis , annuli humani crassiores iis ranae ; patet membranas sanguinis ranae esse omnium tenuissimas , inde eas testudinis minus tenues , eas hominis minus adhuc tenues , & eas columbi adhuc minus tenues , nempe crassiores omnibus .

### IX.

**S**phaerulae septimae objeci lactis faeminei recentia a mammis expressi guttulam , & annuli apparuerunt similes iis sanguinis cum aqua figurae octavae , fere rotundi , sed turgidiores omnibus aliis annulis sanguineis ; ita ut in lympha , aqua deferuntur , clare , & distincte observarentur . In his nullas potui distinguere partes , ut **Fig. 14.** vides in figura 14. certe si adessent , clarius ob eorum turgescientiam distinguerentur , quam in annulis sanguineis , qui minus turgidi , seu magis complanati apparent .

### *Corollarium*

Quoniam annuli sanguinei magis complanati apparent iis lactis faeminei ; attamen in mole & ipsi diminuuntur ex observ. III. & haec est vera molis diminutio ex Cor. 6. atque ex Cor. 5. & 8. annuli eorumque partes ex membranulis compositi sint , patet evidentissime annulorum partes nil aliud esse quam sacculos membranaceos plus minusve fluido a quo circumdantur repletos , nempe ea lympha , qua vehuntur . Necesse est itaque ut lympha per poros membranularum transeat , & sacculos magis replete in annulis lactis , minus in iis sanguinis , minus adhuc in iis sanguinis , cum arescere incipit , & cum tandem sanguis perfecte exaruit , tunc sacci in totum deplentur aqua , & uniformem planam superficiem constituunt , ut vidimus Observatione V. & Cor. 8.

## X.

**U**T annulorum sanguinis figuram ulterius confirmarem , pluries adhibui Microscopium solare D. Liberkhun viri nobilis Borussi , sed perfecti ab artificibus Londinensibus D. Cuff , & Adam ; atque in hoc Microscopio modo adhibui lenticulas , modo meos globulos , & quidem diversarum diametrorum , & ad diversas a lente distantias chartam albam perpendiculariter opposui , ut in ea clare depingerentur , & absque ulla Iride , quae familiaris est huic Microscopio ; semper

per eodem modo apparuerunt quo depinguntur in figuris 15. 16. 17. modo maiores , modo minores , prout lentes , vel globuli acutiores , aut minus erant acuti ; & distantia chartae major aut minor . In figura 15. depinguntur ut apparent globulo lineae dimidiae ad distantiam chartae a globulo , vel sphaerula palmorum Neapolitanorum 3. In figura 16. adhibui sphaerulam eamdem & distantia chartae fuit Palmorum 3. In figura 17. adhibui sphaerulam eamdem , & distantia chartae fuit palmorum 3. Ita clari , & distincti absque ulla refractione depingebantur in charta .

*Corollarium 14.*

Quoniam lente , aut sphaerula visae partes sanguinis , & sensibiliter auctae apparuerunt in Microscopio Solari depictae in charta eodem modo forma annulorum ex aliis partibus oblongis compositorum , quo oculis apparuerunt in Microscopio Wilsoni ; patet evidentissime veram partium sanguinis figuram esse annularem , quae ex aliis partibus oblongis componitur .

*Monitum .*

Cum breves hae numero observationes in ordinem dispositae collectae sint ex plurimum observationum apparatu per decem annos ex intervallo institutarum ; rogo eos , qui his iterum vacare velint , ut non statim eas spernant , si aut initio votis non respondeant , aut non exhibentur oculis eodem ordine , quo a me expositae sunt . Prout enim superficies interiores talcorum magis

magis aut minus complanatae sunt ; magis aut minus se tangunt , majora aut minora interstitia relinquunt , modo unam , modo alteram ex his observationibus comprobari cernet naturae indagator . Ita etiam ex diverso modo quo proieciet lumen in objectum , aut modo majori , modo minori lumine utetur , modo una , modo altera ex his observationibus clare tamen , & distincte ipsi occurret . Probe tamen tenendum est fidendum non esse nisi iis observationibus , quibus ita clare , vivide , & distincte videt partes sanguinis , easque moveri de loco in locum , ut nullum habere ante oculos Microscopium ipsi videatur , sed ea omnia oculis nudis cernere putet , prout observantur objecta alia comunia absque vitrorum subsidio . Iis tantum utendum est observationibus , quae hanc notam habent .

#### *Corollarium Universale .*

Ex hactenus observatis , & illationibus immediate ab observationibus haustis tuto mihi videtur concludi posse quaenam sit sanguinis omnium animalium natura . *Sanguis est fluidum compositum ex lympha , seu aqua diversae naturae ab aqua communi* ( Cor. 6. ) *in qua sunt innumeris facculi membranacei diversae densitatis & scatentes poris diversae magnitudinis* ( Cor. 13. ) *qui , aut soli in annulos conformantur* ( Cor. 6. & Obs. IX. ) *aut plures simul uniti annulos maiores producunt* ( Obs. III. ) *fere rotundi , sed figurae mutabilis in humano sanguine ,* ( Obs. III. ) *ovales*

*ovales in sanguine animalium ( Obs. VI. VII. VIII. ), atque & ipsi mutabiles , sed semper figurae ovalis ; atque hi sacculi repleti assidue sunt lympha modo majori , modo minori copia . ( Cor. 5. & 13. ) . Innumera , quae ex hac idea sanguinis hominum , & animalium erui possunt maxime conducentia ad Physiologiam , & Theoriam Medicam omnium morborum , aliis discutienda , & eruenda relinquo . Cum vero lympha diversa prorsus sit ab aqua communi ex Cor. 6. annuli vero eandem perpetuo naturam servent , quacumque sphaera observentur , nec ullum in iis sit figurae discriminem , patet , omnem differentiam sanguinis variorum hominum , & in eodem homine temporibus diversis spectato repetendam esse a varia lymphae sanguinis natura . Si qui sunt falsoles , aut quae sulphura , vel partes metallicaes , aut minerales , ut pluribus visum est , in sanguine humano , haec prorsus insensibiles sunt , & latent in lympha , ideoque maxime volatiles esse debent . Pars itaque rubra sanguinis maxime homogenea est , pars vero serosa heterogenea . Si quae est in parte rubra differentia , haec tota constituitur in majori , aut minori crassitie membranarum , ex quibus sacculi sanguinei compunctionur .*



